



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XXIII. De Divinatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

CAPUT XXIII.

De Divinatione.

1. *Quer.* Quid sit Divinatio? *Resp.* Est inordinata prædictio earum rerum, quæ naturaliter sciri nequeunt, per media non constituta à Divina providentia. Tambur. in Decal. lib. 2. cap. 6. §. 1. num. 9. Maffius disp. 11. num. 28.

2. *Quer.* Quæ, & quot sint media illicita divinandi occulta, seu futura? *Resp.* Ea esse plura, sed recipere nomen à modo, quo divinans utitur; & ideo vel est *Astrologia*, cum recurrit ad motus Stellarum: vel *Aruspicium* ad volatus avium: vel *Sortilegium*, cum ad jactum sortium: vel *Necromantia*, cum ad ossa, vel cadavera mortuorum: vel *Hydromantia*, cum utitur aqua: vel *Geomantia*, cum adhibet Terram: vel *Aeromantia*, si aerem: aut *Pyromantiam*, si ignem. Tambur. d. §. 1. num. 9. & Maffius eadem disp. 11. num. 28.

3. *Quer.* Quæ circumstantiæ sint perquirende à Confessario, dum audit antedictas species divinationum? *Resp.* Dux, videlicet, an divinans fecerit pactum expressum cum Dæmone? & ad quem finem usus sit divinatione? quia si, exempli gratia, ad malum finem egerit, puta ad puellam subornandam, reus erit etiam incontinentiæ. Tambur. d. §. 1. n. 10. & 11. Maffius ibid. num. 28.

4. *Quer.* Quale peccatum sit Divinatio? *Resp.* Esse peccatum mortale gravissimum, si fiat cum expresso pacto Dæmonis. At si ex tacito tantum, potest esse veniale, quando sit ex ignorantia, vel joci causa, & animo non credendi. Tambur. d. §. 1. num. 12.

5. *Quer.* An licitum Astrologis ex observatione syderum, & planetarum, prædicere futura? *Resp.* Licitum esse in generali prædicere ea, quæ pertinent ad sanitatem, mutationem temporum, ubertatem, sterilitatem, & inclinationes hominum. At in particulari non licet asserere, id, vel id esse venturum; quia hoc soli Deo cognitum est, & cui voluerit Deus revelare; & ideo vetitum est Astrologis, prædictiones de rebus particularibus futuris facere per Constitutionem Sixti Quinti. Tambur. d. lib. 2. in Dec. cap. 6. §. 1. num. 13. & 14. & seq. Maffius ead. disp. 11. num. 28. & 29. & novissimè Gobat in libello De Superstitione num. 912.

6. *Quer.* An peccet ille, qui habuit sui naturalis figuram ab Astrologo, vel prædictionem aliquam, & secundum illam se regit, vel ad effugienda pericula supposita, vel consequenda lucra, aut dignitates? *Resp.* Si id agat cum infallibili credulitate, peccabit mortaliter; at si cum incertitudine, & tali quali spe, vel timore, erit culpa venialis. Tambur. d. §. 1. num. 20. Et ad cognoscendum, quàm vana sit ars Astrologorum, ridiculum, sed efficax est, quod legitur in Vita E. Pauli Veneti, suo scilicet tempore in Palatio Ducis Mantuæ, cum quadam nocte equa peperisset mulum, Princeps ille, recreationis causa, fecit signare constellationem Stellarum, & deinde pluribus ab Astrologis quæ sivit horoscopum, & nativitatem unius bastardi, in Palatio Principis sub ea constella-

tione nati; & ferè omnes impropria responsa dederunt, quia alii prædicebant, natum illum futurum esse Cardinalem, alii magnum Ducem exercituum, alii felicem in nuptiis; & sic apparet, vanissimam esse artem Astrologorum, ut ex professo scribit P. Joannes Baptista Nocetus Soc. Jesu in suo libello de *Astronomia Optima, Indifferenti, & Pessima*; impresso Parisiis anno 1663.

CAPUT XXIV.

De Vana observantia.

1. *Quer.* Quid sit Vana observantia? *Resp.* Esse illam superstitionem, qua mediis inutilibus, & à Divina Providentia nequaquam institutis procurantur sanitates, divitiæ, & similia. Valen. 2. 2. lib. 6. quest. 13. Tolet. lib. 4. cap. 15. & Maffius in Theol. Mor. disp. 11. num. 30.

2. *Quer.* Quænam sit differentia inter Vanam observantiam, & Divinationem? *Resp.* Quòd Divinatio refertur ad aliquid cognoscendum; sed Vana observantia ad aliquid obtinendum. Tambur. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 1. num. 23. Maffius ibid. num. 30.

3. *Quer.* Quale Peccatum sit Vana observantia? *Resp.* Esse mortale gravissimum, quando fit cum expressa Dæmonis invocatione. Est pariter mortale, quando fuerit cum invocatione tacita, nisi excuset vel ignorantia, vel jocus, vel animus non credendi, vel raritas, & parvitas materiæ. Tambur. d. §. 1. num. 24. 25. 26. & melius num. 49. Idem Maffius num. 30. & 31.

4. *Quer.* Quando censenda sit tacita Dæmonis invocatio? *Resp.* Quando adsunt verba non significantia, vel figuræ inutiles, vel conditiones vanæ, aut certæ promissiones. Tambur. ibid. & Carena de S. Inquisit. par. 2. tit. 12. num. 302.

5. *Quer.* Quænam esse soleant Vanæ observantiæ apud vulgum frequentiores? *Resp.* Nolle opus incipere uno die potius, quàm alio. Die Veneris nolle ungues præscindere. In Sabbato non nere. Servare ova exclusa die Parasceves. In nocte Sancti Joannis Baptiste herbas colligere, vel primam vocem, vel primum hominem advenientem attendere, ut maritus cognoscatur. Ictericam sanare adhibito filo textoris. Morbos ex repentina Verborum Sacrorum prolatione fugare. Nolle inter tresdecim convitatos ad mensam sedere. Gladium percussoris medicamentis fovere, & absentem vulneratum sanare, ac filium, à quo pendeat lapillus, vel annulus inter pollicem, & indicem intra Vas aliquod suspensum tenere; & illum ictus horarum sonantem audire; de quibus & aliis Tambur. d. §. 1. 2 num. 33. & seq. & num. 79. lib. 2. in Decal. cap. 6.

6. *Quer.* Quomodo, & quando Vana observantia in præfatis, & consimilibus operibus censenda sit prohibita, & mortalis? *Resp.* Tres casus esse distinguendos; Primò, si sola Sacra adhibeantur. Secundò, si sola non Sacra. Tertiò, si Sacra, & non Sacra simul. In primo casu, si sola Sacra adhibeantur ex

mera